

& quando possint, eosdem, etiam invitos, ad bellandum compellere, pag. 547.

EMB. XCI. Ex Aquile, & Cybini colluctatione, quæ utrumque aliis in facilem prædam exponit. Cum lemmate, *Belli inter Finitimos Reges periculum*, & enixa Catholici, & Christianissimi suasionem, ut internecina, quæ in se gerunt bella, in Turcas, & Fidei hostes tandem convertant, ne aliter (quod Deus avertat) eisdem in prædam cedant. Et quàm sit turpe, & periculosum, cum ejusmodi hostibus, adversus Christianos, fœdus inire, vel se eis in protectionem, & clientelam committere, pag. 552.

EMB. XCII. Ex Apum Pictura, & natura, quæ talis esse fertur, ut nisi suo præeunte Rege, ad bella non exeant. Cum lemmate, *Rex bellis intersit*, & exacta hujus quæstionis dissertatione, An, & quomodo expediens sit, ut Reges personaliter bellis intersint. Adductis pluribus locis, & exemplis, de bonis effectibus, quos in hoc, & in aliis, præsentia Principum operatur, pag. 558.

EMB. XCIII. Ex Hispaniæ Regum Aurei velleis, sive Agni, stemmate, quod sub Leone torques scintillans circumdat, de cujus origine, & significatione plura traduntur. Cum lemmate, *Parcere subjectis*, & egregia Regum Admonitione; qualiter se cum devictis, & supplicibus hostibus habere debeant, pag. 564.

EMB. XCIV. Ex Pacis nova Pictura, quæ ejus ubertatem felicitatemque plenissimè repræsentat. Cum lemmate *Pacis commoda*, & *encomia*. Quod latè ex Divinis, & humanis literis illustratur, ut Reges, & Principes ad eam optandam, & amplexandam, accedantur, ita tamen, ut non idèd imparati sint, & Armorum curam prorsus omittant, pag. 570.

EMB. XCV. Ex Urbis, mœnium, vice, armatis, & sibi sociatis, atque hærentibus viris, circumdata, ex Issæi Apophthegmate sumpta similitudine. Cum lemmate, *Concordia, quos unit, movit*. Et lata hujus virtutis ad Reges, & populos omnes commendatione, & obiter illius quæstionis resolutione, An urbes muris cingi,

& vallari conveniat, pag. 575.

EMB. XCVI. Ex Templi Jani aperti Pictura, & Romanis ante illud vota fundentibus, Consule tamen interim militaria curante. Cum lemmate, *Orandum, & Operandum*. Et hujus Moniti elaborata comprobatione. Ut Reges intelligant, Gratissimum esse Deo, si ei suas omnes actiones commendent. Ita tamen, ut ipsi, sua ex parte se juvent, & humanis mediis, & auxiliis, Divinorum dignos efficiant, pag. 579.

EMB. XCVII. Ex Equi, cursum ob latrantes canes non remorantis, similitudine, aut mulieris, ova, ne quicquam gallinis glocitantibus, extrahentis. Cum lemmate, *Vulgi latratus spernendi*. Quo Reges admonemus, ne ab exequendis benè pensatis actionibus, ob vanas vulgi voces desistant, de cujus procacis, & mutabili, natura plura traduntur, pag. 584.

EMB. XCVIII. Ex Similitudine Umbræ, quæ semper eos comitatur, quos radii Solis illustrant. Cum lemmate, *Virtus invidiam signit, & superat*. Quod latè exornatur, ad Reges, & Principes admonendos, ut invidentium, & calumniantium Sycophantias, & injurias, & libellos famosos contemnant, & sola sua virtute superari posse confidant, pag. 587.

EMB. XCIX. Ex Cressi ad Cyrum Apophthegmate, quo, à Solone doctus, neminem ante obitum Beatum judicari posse, commovuit. Cum lemmate, *Beatus ante obitum nemo*. Et lata hujus historiæ, & sententiæ enarratione, & illius quæstionis dissertatione, An, & quomodo possit quis, de Magnatibus, & Potentatibus, qui adhuc vivunt, Historias, vel Panegyricos evulgare, pag. 593.

EMB. C. Ex Pictura Pantheonis, in Divi Laurentii Templo, apud Escorialia, in Sepulchrum Hispaniæ Regum novissimè, & pulcherrimè fabricati. Cum lemmate, *Maintenance ex Monumento*. Et ultima ad Reges, & Principes Monitione, ex suæ fragilitatis, & Mortalitatibus conditione desumpta, ad eosdem, dum vivunt, præmuniendos, & in recto virtutis tramite continendos, pag. 598.

EMBLEMA I.

TOTUM CONDENS, TOTUM COMPLENS.



*Ex nihilo feci, totum impleo, cuncta guberno.
Meque volente stetit; Meque volente ruet.
Cedite mortales, Dominans Ego solus in Orbe,
Condere qui haud poterit, nec Dominator erit.*

COMMENTARIUS.

I Summo sumo Principe principium, & hoc Emblemate eos, qui terræ præsent, monitos velim, excelsis excelsiorem esse alium, ut Salomon dixit (a), & tunc demum stabilem sibi Dominationem figere, vel fingere posse, cum Majestatem suam, juxta Divi Augustini (b) consilium, Majestati Dei famulam fecerint, humilique & submisso corde cognoverint, se illius comparatione nihili pendi, qui ex nihilo eosdem ipsos, & totum hunc mundum, qui omnia continet, fecerint, & in nihilum, ubi sibi libitum fuerit, reducere possit.

2 Et cujus unius (ut veterum Philosophorum sententia est) omnia sunt, & omnia unum, atque unius ut omnium causæ, utpotè omnium Patris, omnium Conditoris, Conservatoris, Custodis, Principii & finis, indefinibilis, interminabilis, immensi, incomprehensibilis. Quem sola jam Fides amplectitur, quando ratio, & natura, etiam Angelica, plenè non capit: cum ipsa omnia, quæ formavit, excedat, & totus ubique in eisdem rebus, quas formavit, favendis, fovendis, incubandisque consistat, cælum, & terram solus implens, ut apud Jeremiam (c) habetur, lucemque, ut D. Paulus ait (d), habitans inaccessibilem, & tenebras ponens latibulum sui. Quo fit, ut & ipsum solum, tamquam verum ac solum, totius Mundi Regem, omnes Mundi Reges venerari, ac revereri debeant, cum ipsius solius sit totum Mundum implere, cujus & condere æqualis voluntas, ac potestas fuit.

3 Et hoc est, quod præsens (ut vides) Emblemata designat, sub Dei Patris figura, super utrumque globum cælestem, & terrestrem recubantis, & sibi utriusque veram dominationem ex præfatis titulis asserentis. Quos cum terreni Reges prætexere nequeant, par est ut cælesti colla submittant, Æschillis illud in memoriam revocantes (e): *Omnia sunt definitè constituta, præterquam Diis imperare; nullus enim liber est nisi Jupiter*. Horatii (f),

*Regum timendorum in proprios greger,
Reges in ipsos Imperium est Jovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.*

4 Et Nabuchodonosoris exemplum veriti, qui, ut sacra recenset Historia (g) rebus secundis elatus, statuam sibi auream immensæ magnitudinis posuit, adorarique eam, ut divinam effigiem, præcepit, & lata in tres pueros Hebræos, *Sidrach, Misach, & Abdenago*, id facere aversantes, capitali sententia, in has voces blasphemias, & impias prorupit: *Quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Propter quod eidem, in solitudinem, feritatemque damnato, ut D. Paulinus (h) ait;

(a) Ecclesiastes 5. 7.
(b) D. August. de Civitat. Dei lib. 5. cap. 24.
(c) Jerem. cap. 23.
(d) D. Paul. 1. Timor. 6.

(e) Æschil. in Prometheus ligato.
(f) Horat. 3. Carmin. Od. 1.
(g) Daniel. cap. 3.
(h) S. Paulin. epist. 4. ad Sever. Sulp.

ait; *Luctuosa concretio capitis intonsi, in jubam leonis horruit, ut etiam corporis specie transiret in belluam, qui non solum à Regnis suis, sed etiam à sensibus extularet humanis, coma tristi leonem: unctis unguibus vulturem: sensu, & pabulo bovem referens; ne unius tantum belluæ similitudinem ferret in pennis, qui multarum similis fuisset in moribus.*

5 Et ad hanc Dei Optimi Maximi potentiam, & in rebus omnibus præsentiam, sive ut ita loquar, interessentiam, vel, ut Theologi (i) dicunt, *Ubiquitatem*, illud Genesis (k) pertinet, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, ubi plures ex sanctis Patribus legunt, vel explicant, *Uvebat*, sive *Incubabat*, in gallinæ similitudinem, ova suo calore foventis, & animantis. Cum & ipse Spiritus sanctus Deus sit, qui non loco continetur, nec distenditur, nec temporum mutationibus subiacet; sed est ubique præsens, ac totus, & ex ipso, & per ipsum, & in ipso sint omnia, ut à D. Paulo (l) docemur, & multò ante à Regio Psalte (m) dum canit, *Quò ibò à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero ad infernum ades, si sumpsero pennis meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

6 Divus etiam Augustinus (n), à quo & habuit S. Bonaventura (o), idem ipsum his verbis expressit: *Solus Deus totus oculus est, totus manus, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt: totus est manus, quia omnia operatur: totus pes, quia ubique est: cum illum nullus circumscribat locus, & solus sit præsens, etiam iis, qui longè sunt à se. Et iterum, non minus ad rem nostram, initio suarum confessionum, sic habet: *Capiunt ne ergo te cælum & terra, quoniam tu implet ea? An implet, & restat, quoniam non te capiunt? Et quò refundis quicquid impleto cælo & terra restat ex te? An non opus habes, ut à quoquam continearis, qui continet omnia, quoniam quæ implet, continendo implet? Non enim vasa, quæ te plena sunt, stabilem te faciunt, quia etsi frangantur non effunderis.**

7 Et rursus, & adhuc melius ita inquit (p): *Substantialiter Deus ubique diffusus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dividuus, & in alio dimidio dividuus, atque ita per totum totus. Sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco; sed in se ipso ubique totus. Et postea: *Ideo enim ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est. Ideò totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem: sed non solum universitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest, &c.**

8 Eadem propemodum idem Augustinus, Gregorius, Isidorus, Justinus Martyr, Ambrosius, Clemens Alexander, Arnobius, Tertullianus, Bernardus, & alii sancti Patres passim expendunt, dum omnem illam continendi rationem, qua Deus cuncta complectitur, videt, ac fovet, exponunt. Quorum scriinia compilare opus non est, præsertim cum id jam diligenter præstiterint doctissimus Petrus Faber (q) in singulari illo libro, cui *Dodecameron*, sive de Dei nomine, atque attributis titulum fecit, & Joannes Filosacus (r) in alio, in quo Deum esse centrum, & locum rerum omnium ostendit. Quibus addere licet Theodoretum Episcopum Cyri, huic causæ, Mundi per tot annorum curricula indefectibilem permanentiam, sic tribuens: *Deus gubernat hanc rerum universitatem conditor. Nec ut Faber discedit à navi extructa, relinquens eam nautis gubernandam, Sed idem est & fabricator navis, & materiæ plantator, & gubernator clavum tenens; cujus rei testis est tot amorum conversio, & temporis diuturnitas, nihil omnino detrimenti huic navi afferens; sed eam salvam, atque integram, non modo primis hominibus, sed etiam universæ posteritati ostendens. Et est etiam lectu dignus Justus Lipsius (s), hæc eadem omnia elegantissimis verbis edisserens, quæ quoniam ego alibi (t) retuli, hic non transcribo.*

9 Neque mirum est, Sanctos hos Patres, quibus lux Evangelicæ veritatis affulsit, hæc agnovisse, cum Ethnici etiam Scriptores, naturali tantum ratione ducti, idem ipsum fuerint assequuti. Inter quos nihil magis repetitum, aut decantatum invenies, quàm illud (u).

*A Jove principium, Jovis sunt omnia plena.
Jupiter est quacumque vides, quacumque moveris.*

Unde Orpheus apud Apulejum (x) sic cecinit:

*Jupiter omnipotens, est primus & ultimus idem:
Jupiter est caput, & medium, Jovis omnia munus.
Jupiter est fundamentum humi, ac stellantis Olympi,
Jupiter & mas est, & femina nescia mortis;
Et pelagi radix, Sol, Luna, est Jupiter ipse;
Omnipotens Rex est, Rex omnis Jupiter ortus.*

Vir-

(i) Perer. Mariana, Deltius, Mersenius, & alii.

(k) Genes. 1. ubi laud.

(l) D. Paul. ad Rom. 13. 36.

(m) David Psalm. 138.

(n) D. Agust. sup. Psal. 120.

(o) S. Bonav. in Phares. lib. 1. cap. 1.

(p) Idem Aug. epist. 57. ad Dardan.

(q) Pet. Fab. in d. dec. cap. 4.

(r) Filosac. lib. 1. select. cap. 1.

(s) Lips. de Constant. lib. 1. cap. 13.

(t) Ego 1. tom. de Indiar. gubern. lib. 2. cap. 2. n. 1.

qui ejus verba refero.

(u) Aratus in Phænomenis, Virgil. in Pælem.

(x) Apul. in lib. de mundo, ad finem.

10 Virgilius (y) quoque Pythagoræ doctrinam sequutus, asserentis Deum esse immisum elementis omnibus, & rebus visibilibus, etiam in apibus, aliisque animalibus, divinam hanc adscientiam agnoscit, sic inquit,

*Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Ætherios disere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tradusque maris, cælumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quæque tibi tenes nascentem accessere vitas.*

Et rursus habet (z),

*Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Luna, Titanique Astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno te corpore miscet.*

11 Ob quæ loca Virgilium cum Davide comparat Eugubinus (a), & ad eadem respiciens Baptistia Mantuanus (b), ita ait:

*Cuncta Deus replet: Deus est supra, Deus infra.
Ætherios Orbes habitat sub Sole, sub Astra,
Sub Tellure latens, sub Dive, sub æquoris Unda:
Omnia plena Deo.*

12 Eademque carmina esse puto, quæ citantur à Catone, sive illo, quisquis fuerit, qui Disticha, quæ *Moralia* vocantur, certè Catone digna, composuit. Dum in primo sic habet,

*Si Deus est Animus, nobis ut Carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.*

In quo exponendo, licet non parum Erasmus, Scaliger (c), & alii vexentur, facilis tamen mihi sensus esse videtur, si ad hanc Dei in rebus omnibus, & in nobis metipsis animationem, incubationemque respexisse dicamus, & coma illud, quod vulgò post verbum *Animus* ponitur, ad sequens *Nobis* transferatur, & ita legamus,

Si Deus est animus nobis, ut Carmina dicunt.

13 Seneca (d) quoque, (ut innumeros alios præteream) multus passim est suis in libris in hoc argumento, & nihil aliud esse Naturam docet, *Quàm Deus, & divina ratio, toti mundo, partibusque ejus indita, atque inserta, & se vi sua sustinens.* Et (e) ad Lucilium scribens, in nulla re magis, quàm intra ipsum hominem, Deum existere, his verbis, perpetuò mente tenendis, observat; *Prope Deus est, mecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, honorum, malorumque nostrorum observator, & custos. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipse: Bonus verò vir sine Deo nemo est, &c.*

14 Ad quem locum nescio, an respexerit Prudentius (f) dum postquam nos monuit, quo pacto singulis diebus mores nostros componere debeamus, ita subdit:

*Speculator adiat desuper
Qui nos diebus omnibus
Atque nostris prospicit
A luce prima in vespere.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est,
Humana quod mens concepit;
Hunc nemo fallit judicem.*

15 Illud certè scio, debere Nos Christianos homines pudore suffundi, cum apud Senecam, & alios Gentiles Auctores, adeò pia, ac christiana documenta comperimus. Ideòque mihi succensendum non esse, si in iis commentariis, multus fortè in illis referendis delicatis aliquibus videar; nam ut præclare D. Augustin. (g) scripsit, *Ex eorum bene dictis, aut bene factis, acriter stimuli ad virtutem sumi possunt: cum subeat animo, quàm turpe sit, non ea perspicere pectus Evangelicæ luce illustratum, quod perspectum est iis, quibus sola naturæ scintilla prælucebat.*

16 Ex quibus apparet, non minus verè, quàm aptè, Empedoclem, & alios, Deum *spheeram incomprehensibilem* appellasse, cujus centrum ubique, circumferentiam nusquam, nisi in se ipsa. Et Theophilum (h) rectè dicere potuisse, verbum Græcum, THEOS, unde & Latinum DEUS, inde deductum, quòd apud ipsum res omnes suam securitatem, & custodiam asservent; non aliter, atque in suo centro, tamquam in loco magis securo, magisque salutari, naturales, gravitate præditæ, continentur, atque servantur. Vel à *currendo*, quia Deus omnia movet, in operationem producit, nutrit, sua providentia disponit, gubernat, vegetat, & vivificat: singulisque rebus essentiam suam communicat, atque, ut nostrorum verbis utar, essendi modum & gradum largitur, simulque easdem conservat, & unquamque illarum ad finem suum, sibi que congruum dirigit.

17 Quæ omnia satis (ni fallor) nostri Emblematis thema, ac lema explicant, & illustrant.

A 2

(y) Virg. 4. Georg.

(z) Idem Æneid. 6.

(a) Eugub. de Peren. Philosoph. lib. 1. cap. 3.

(b) Mantuan. in carm. de Deo.

(c) Erasm. & Scalig. in notis ad hæc Distich. Pontan.

(d) bellarii Aricis, 2. par. pag. 518.

(d) Seneca passim, sed præsertim 2. nat. quæst. cap. 45.

(e) Idem epist. 41. ad Lucil. vide Lips. in Manud. diss.

19. & in Physiolog. 3.

(f) Prud. in Hymn. marat.

(g) D. Aug. lib. 2. de Doctr. Christ.

(h) Theoph. lib. 1. ad Autolicum.

A quo non multum distat aliud Achiliscocii (i), in quo Deum in orbem insuflantem depingit, & hunc (pariter ac nos facimus) omni complere, animare, & movere longo carmine explicat.

18 Et post hæc scripta, idem ipsum piè, ac doctè insinuasse comperio Guillelmum Hessium (k) è Societate Jesu, sub pictura ejusdem circuli, in quo minor alius includitur, & simul tetragonus, hexagonus, & octagonus, quasi qui numeros omnes absolutè comprehendat, cum hac Epigraphe, *Omnia in uno, & in omnibus unus*; & his carminibus quæ sequuntur:

Qui cuncta claudit, ambituque comprehendit,
Cunctis testur clausus, atque comprehensus.
Par tempore, idem semper, unus est semper.
Summa tentur cuncta, summus in cunctis:
Sed ille, vel sic comprobatur immensus.
Summo terri, qui recusat, inscriptus,
Summum ac ille continebit inscriptum.

19 Discant nunc ergo Reges moales, quanta inter ipsos, & immortalem, sit differentia, & juxta Davidicum (l) monitum: *Erdimini qui indicatis terram, servite Domino in timore; & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Cum exarserit in brevi iracundia, Beati omnes, qui confidunt in eo.* Nec se ei nimio fastu prætumidi, vel secundis rebus elti, aut adulatorum (quod frequenter accidit) lenociniis decepti, pares esse contendant, qui eosdem tamquam vas figuli confringere potest, & habet in vestimento, & in sœmore suo scriptum, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* (m) Et ad cujus vel solum nomen, omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum flecti debere Apostolus (n) docet.

20 Quo enim ore, ut Isaias (o) ait: *Lutum contra figulum superbiat, vel cogitabit? Et dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat fictori suo, non intelligis?* Vel qui ne muscam quidem creare potest, cum eo contendet, qui mundialem hanc machinam, tanta rerum diversitate constantem, ex nihilo condidit, & tamquam si nihil faciat, per tot seculorum seriem, illasam, sartam, & tectamque divina sua adstantia, ac providentia conservat? Et de quo non minus verè, quam piè, canere potuit D. Prosper. Aquitanicus (p).

Hic Auctore: atens & tempore, permanet idem
Semper, & immensum, nec secula, nec loca claudunt.
Hic nullis mundi causis extantibus in se
Quicquid vest habens, cum visum est, omnia solus
Condidit ut sicut, formas, numerosque modosque.
Et genera, & vitas statuens, & semina rebus.
Quicquid int' calo, quicquid terra, marique:
Quicquid quæcumque est in corpore, sive animatum,
Sive experientia, calida, humida, frigida, sicca,
Uno extant Auctore Deo: qui divite Verbo,
(Quod Deus) rerum naturas, atque elementa
Protulit & summis Opifex intentus & imis, &c.

21 Sed audi, precor, Octavium Minuti felicitis (q), elegantè hæc omnia referentem, & perpendentem, & ex mirabili cœli, & syderum motu, terræ per anni tempora mutatione, maris reciprocis astibus, hominum, & animalium natura, & varietate, hanc inenarrabilem Dei potentiam, providentiam, & in rebus omnibus inessentiam colligentem, suamque orationem his verbis claudentem: *Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita ornata vidisses; utique præesse ei crederes Dominum, & illis bonis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cælum, terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem: crede esse universitatis Dominum, Parentemque, ipsis syderibus, & totius mundi partibus pulchriorem.*

22 Eant igitur, aut pareant etiam, impudentissimi adulescentes, qui luteis, ac terrenis Principibus assentantes, parum se illos etollere censuerunt, nisi divinis quoque titulis, honoribus, & attributis donarent, ac demulcerent. Inter quos Ausonius (r), vel hanc, *Ubiquitatem*, quam solius Dei propriam esse ostendimus, suo Imperatori Gratiano his verbis tribuere veritus non fuit: *Ades enim locis omnibus, nec jam iramur licentiam Poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt.*

23 Et, ut expressius, ita & abscondius, Mamertinus (s), qui in genethliaco ad Maximianum, & Diocletianum Imperatores, qui se Herculeos passi fuerunt nuncupari, sic dixit: *Itaque illud, quod de Jove cecinit Poëta Romanus plena Jovis omnia esse, id scilicet animo contemplatum, quamquam ipse Jupiter summum cœli verticem teneat, supra nubila, supra ventos sedens in luce perpetua, numen tamen ejus, ac mentis toto infusam esse mundo: id nunc Ego de utroque vestrum, ubicumque satis, in unum licet Palatum concesseritis, divinitatem vestram ubique versari, omnesque terras, omniaque maria plena esse vestri. Quid enim mirum, si cum possit hic mundus Jovis esse plenus, possit & Herculis.*

Quan-

(i) Achil. Boch. symb. 140. lib. 5.

(k) Guillelm. Hess. lib. 1. emb. 1.

(l) David Psal. 2.

(m) David d. Psal. 2. vers. 9. Apocal. 1. 16.

(n) D. Paul. 2. ad Philip. 10.

(o) Isai. 19. 16.

(p) D. Prosp. in lib. de provid. Dei.

(q) Octav. Minut. felic.

(r) Auson. in Paneg. ad Gratian.

(s) Mamertin. in Panegy.

24 Quanto modestius Agesilaus (t), cui cum Thasi templa, ac divinos honores decrevisent, utpotè Principi de ipsis optimè merito, sciscitatus est ab eorum legatis, qui hoc postulatum venerant, nùm ipsi potestatem haberent ex hominibus creandi Deos? Respondentibus se habere, dixit: *Vos ipsos primum Deos facite, tunc vobis credam, quòd me Deum facere poteritis.*

25 Alexander etiam Magnus, etsi aliquando Deus haberi, ac salutari voverit, habitumque Deorum assumpserit, modestè tamen ob hanc divinitatis affectationem ab Olympiade matre taxatus fuit, ea eleganti epistola, quæ apud Agellium (u) habetur. Ac præterea ipse, cum graviter in expugnatione cujusdam urbis vulneratus, missionem sanguinis, & crescentem vulneris dolorem, inter Chirurgi manus præsentiret, quàm falsam opinionem imbibisset, quàmque dementer se ab adulatoribus decipi passus fuisset, his verbis expressit: *Omnes me prædicant Jovis esse filium; sed vulnus hoc hominem esse me clamat.* Sive ut Plutarchus (xx) in ejusdem Alexandri apophthegmatis tradit:

Hic sanguis est non diti, ut solitus manare beatis.

26 Recentior est, sed scitu non minus digna Canuti Anglorum Regis apud Polidorum Virgilium (y) historia. Hic enim dum animi laxandi causa, haud procul à litore maris ambularet, & militum acclamationibus exceptus fuisset, quod ad tantam Majestatem felici successu adspirasset. Cum ab illis appellaretur Rex Regum omnium potentissimus, qui terræ, qui mari latè imperitaret. Tum ille tacitus, animo ad Dei potentiam contemplandam erecto, ut suorum vanas ostentationes aliquo argumento coargueret, vestem exiit, atque ex ea globum fecit, super quo sedit quàm proximè aquam, æstu tunc fortè ex alto se incitante, ac inquit: *Unda tibi jubeo, utne pedes meos tangas: quæ ubi est fatus, cunctis admirantibus quatenus ista faceret, unda insurgens totum madefecit.* Tunc ille retrò progressus: *En (inquit) Principes, me Regem, & quidem omnium potentissimum vocatis, qui hanc parvulam undam meo imperio cobibere, vel remorari nequeo, nullus nempe mortalium est tali nomine dignus. Est Rex unus Pater Domini nostri Jesu Christi, cum quo ille regnat, cujus nutu cuncta reguntur; hunc veneremur, hunc Regem appellemus, hunc Regum, hunc populorum omnium Dominum, hunc cœli, terræ, maris Rectorem, non solum constitemur, sed etiam profiteamur, præterea neminem.* Post hæc Vintoniam profectus, coronam, quam gestabam, capiti simulachri Crucifixi, quod in Templo Apostolorum Petri, & Pauli pendebat, suis manibus imposuit, numquam posthac ejusmodi ornamento capitis usus insigni.

27 CUI historia, aliam non minus lepidam addere possumus, quam ex incerto quodam Germano Auctore apud Jacobum Pontanum (z) reperio; de quodam Principe, qui cum ad opes, potentiam, & magnificentiam suam toti mundo prodendam, & ostentandam, sumptuosa quædam ædificia moliretur, quorum pars camerata, pars laqueata, pars in excelsum, pars in longum longius producta, conspiciebatur, omnia summo artificio à summis Architectis, Pictoribus, & Magistris perfecta, & illustrissimè exornata. Et fortè morionem, seu fatuum multorum leporum sibi servientem interrogaret, equid placerent structuræ tam nobiles, ac fornices præsertim tam ampli, & columnæ tam insignes? Ab eo ad fenestram perductus fuit, & digito in cœlum tenso: *Tu te (inquit) Architectum incomparabilem existimas, & existimari, ac prædicari cupis. Agedum, aspice, hic te longè superat. Verus ne sum? In ambitu domus bujus ad firmendam, & constabiliendam ædificationem, tu columnas tot supponere debuisti. Hic autem, in tanti operis immensitate, nullis columnarum fulcimentis indiguit. Hunc, Domine frater, hunc, inquam, Magistrum, & Architectum dici, & in eo gloriari patiari, tuæ molitiones, cum tua gloria, ad illius machinas, & gloriam, merissimè sunt nugæ.*

28 Responsum quidem fatui, non fatuum; nam ut Sapiens (a) docet: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis; & vel quæ in operibus Dei minima sunt, omnem Regum potentiam, & sapientiam excedunt; & ut Tertullianus (b) inquit, si vel minutiora animalia nemo imitari potest, qualia erunt majora, quæ Deus, ac Dominus noster ornavit, & de quibus Regius Vates (c) dicere potuit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus, annuntiat firmamentum.* Et Sapiens (d): *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.**

29 Sed cum juxta Divi Augustini (e) doctrinam, super eminentia Deitatis, non solum usitati eloquii nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem excedat, hic finio, quia de Deo, ut olim dixit Euclides (f), etiam verum dicere periculosum est: *Tantaque, & tam tremenda (Salviano (g) docente) est Majestatis sacræ reverentia, ut non solum quæ contra Religionem dicuntur, horrere, sed etiam ipsa quæ pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu, ac disciplina dicere debeamus.*

EM-

(t) Agesilaus in ejus Apophtheg. apud Erasmus.

(u) Agel. lib. 13. not. Arric. cap. 4.

(xx) Plutarc. in vita Alex. Curtius lib. 8. cap. 20.

(y) Polid. Virg. Hist. Angel. lib. 8.

(z) Pontan. in bellariis Asticis, 2. par. cap. 34. pag. 59.

(a) Sapiens. 1.

(b) Tertull. adversus Marcion.

(c) David Psal. 18.

(d) Sapiens. 6. 8.

(e) D. Aug. in lib. de vera innocentiæ lib. 1. quest. 9. 1.

(f) Euclid. apud Max. Tyrium, serm. 21.

(g) Salvian. lib. 1. de provid.

EMBLEMA II.
DEUS SOLUS DOMINUS.



Aspice splendentem Puerum, radiisque coruscum,
Qui Phœbi nitidas lumine vincit opes.
Quem Dominum monstrat Tyburis alma Sybillæ,
Nam soli, & solus Rex tonat ille Polli.
Principis æterni reverentes cernite numen,
Qui geritis multis sceptrâ caduca modis.

COMMENTARIUS.

Reverentiam differentiamque, quam inter immortalem, & mortales Reges, ex incomparabili divinorum operum magnitudine superiori Emblemate comprobavimus, cœleste quoque illud, & miraculosum Oraculum manifestat, quod in præsentî graphice designamus, gravissimorum Auctorum (a) traditionem sequuti, qui proxime post Christi Domini, ac Servatoris nostri Nativitatem, Sybillam Tyburinam ad Augustum Cæsarem accessisse, eique ipsum eundem Christum Iride, vel Solis radiis inclusum, cum sanctissima ejus Genitrice ostendisse testantur, sub illo ecclii tractu, quo postea Romæ in perpetuam hujus rei memoriam, Franciscanorum ædes hodie constructa reperitur, vulgòque, eandem ob causam, Sancta Maria de Ara-Cœli vocatur. Serioque illum admonuisse, quis, qualis, quantusque recens natus puer esset, ipsique dumtaxat justè, ac vere nominationem pariter, ac dominationem totius Orbis deberi, nullumque alium Cæsarem, Principemve, Domini vocem, vicemque præsumere posse.

2 Quam etiam historiam adeò elegantî carmine memorat Baptista Mantuanus (b), ut rem gratam Lectori me facturum arbitrer, si ejus verba hisce meis Commentariis adtexam, quæ sic habent,

Hæc, cum divinos cultus, & sacra pararent
Augusto cum plebe Patres, citra Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæsaris aulas,
Fulgentem nitido monstravit in æthere circum,
Irideque inclusam parva cum prole Parentem.
Atque manum tendens, vultuque adsidera verso,
Ille puer Deus est, inquit; Tu desine, Cæsar,
Velle coli, Pueraque aras, ac templa relinque.
Ille regit cœlos, atque immortalis Olympi

Pos-

(a) Tertul. in Apolog. cap. 34. Oros. Antonin. Vergo- mens. Polid. Virgil. & alii apud Me 1. tom. de Indiar.

jur. lib. 2. cap. 21. num. 48.

(b) Mantuan. lib. 3. Parth. 1. post princip.

Possidet Imperium, & fatalia teperat astra, &c.
Tu sceptrum mortale geris. Te erica nondum
Regna, nec Hæc voverunt litra terræ, &c.
Pone precor Cæsar fastus Augite superbos,
Teque (licet tractes vastæ teltris habenas)
Esse sub immenso positum reiniscere summi
Principis Imperio: cui rerum terna potestas.
Hæc ait, & patrios petit sic facta Penates.

Et licet Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius (c), bono Christianæ Reip. natus, huic historia non multum deferat, quatenus Sybillam Tyburinam hoc signum Augusto ostendisse commemorat, cum hæc, & alia Sybillæ, multis ante illum seculis decessissent, putat tamen ex ipsius libris Augustum hoc discere potuisse, in quibus ognoscendis, scrutandis, expurgandisque, multus fuit, prout & inconsulendo Apollinis oraculo, cui & templum in Palatio exererat, & à quo, præmisso Hecatombes sacrificio, & de Oraculorum defectu interrogato; tale responsum (Suida, Nicephoro, & aliis multis referentibus (d)) accepit.

Me puer Hebræus divos Des ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orbem.
Aris ergo debinc tacitus abscedito nostris.

3 Idemque indicavit cœlestis ille arcus Romæ tuc etiam repente Cœlo sereno visus, Solem in modum circuli ambiens. Idemque Sol, intra tres oculos effulgens, quorum unus, corona spiraculum ignita circumdabatur. Oleum trans Tyberim in aberna meritoria per integrum diem, sine intermissione, è terra, in modum fontis, erumpens, ac fluens, & plura alia prodigia, quæ ex Plinio, Suetonio, Seneca, Dione, Eusebio, Orosio & aliis, idem Baronius enarrat.

4 Cui (in nostræ Hispaniæ laudem) addere possumus aliud, de tribus solis in ea per ipsum tempus conspectis, qui postea paulatim in unum coaluerunt, quasi individua Trinitatis mysterium adumbrantes; ut D. Thomas (e), & Flavius Exter (f) testantur, & ab impugnationibus Patris Maldonati, bene Valdesius noster, & Tamaju (g) defendunt.

5 Et quod de novo, lucidissimoque Astro, seu Phœnomeno, in eadem Hispania sub idem ipsum tempus apparente, in generali Chronico Alphonsi (h) Regis, & Joannis Vasæi (i) historia narratur. Quod occasionem Auctori cuidam Neherico præstitit, opinandi, hanc stellam, illam eandem esse, quæ Magos Reges ad Christum Dominum, adhuc in præseppe vagientem, adorandum direxit, quos & Hispanos (k) fuisse, pibare contendit.

6 Sed utcumque hoc de Tyburina se habeat, illud pinè apud omnes compertum est, eundem Augustum sub id temporis edicto vetuisse, ne quis ipsum DOMINUM (l) appellaret, ita ut ne à liberis quidem, vel nepotibus suis, hoc vel seriò, vel joco passus fuit, ut Sueton. (m), Tertull. (n), & alii testantur.

7 Quod & Tiberius continuavit, qui, ut ex eodem Suetonio, Dione, & Tacito, tradit Baronius (o), in primis sui Imperii annis adeò optimi Principis, & ab omni fastu alienissimi, specimen dedit, ut non tantum se Dominum dici vetuer, id sibi contumeliæ loco esse denuntians, sed neque ullum templum sibi proprium extrui (licet hoc Hispani, præter alios, summis ab eo precibus efflagitaverint) neque se in ullo alio loco col passus fuerit: edicto etiam palam, ne quis privatus, neque urbs, statuam poneret injussu suo. Addideritque numquam id concessurum, Sequæ mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere si locum Principem implere posset. Quod, qua mente ab eo dictum fuerit, exponit Taitus (p); & alii modestiam, multi quia didiceret, quidam ut de generis animi, interpretabantur.

8 Ceterum hæc moderatio, vel in his ipsis Imperatoribus parum durasse videtur, cum postea Augustus, Imperio magis constabito, sibi, atque urbi Romæ templum, apud Pergamum sibi non prohibuerit, ut Tacitus (q) memorat & Aras constitui, ad quas per ipsum genium, nomenve juraretur: de quibus agit Horat. (r) dum inquit,

Præsentî tibi maturos larimur honores,
Jurandasque tuum per umen ponimus Aras.

Magisque eos puniisse legatur, qui per suum, quæ qui per divinum nomen pejerarent. Inquiens nimirum, ut ille apud Tacitum (s) dixit: Deorum injurias diis curæ esse: Principes verò Majestatis suæ, periurio violatæ, vindictæ esse debere.

Ne-

(c) Baron. in appar. ad ann. num. 20.

(d) Refert, post alios, Thom. Bozius de sig. Eccles. novissim. Camer. 1. subcess. cap. 59. pag. 266.

(e) D. Thom. 3. part. quest. 36.

(f) Flav. Dext. art. 1.

(g) Valdes de dign. Reg. Hisp. cap. 6. num. 4. Tamaju in suis novantiquis lection. pag. 14.

(h) Cronic. Alphons. part. 1. cap. 107.

(i) Vasæus part. 1. histor. Hisp.

(k) Joana. Caramuel in tract. de insignit. Hisp. pag. 36.

(l) Et Salazar Tom. 1. Mart. Hisp. die VI. Januar. fol. 74.

(m) Matth. 2.

(n) Suet. in Aug. cap. 53.

(o) Tertul. in Apolog. cap. 34. ubi Pamelius, & Cerda, plus alios adducunt.

(p) Baron. ann. Christ. 16. in fin. latè Joann. Filesac. de idolatria politic. cap. 3. pag. 31.

(q) Tacit. 15. & 4. annal.

(r) Tacit. 4. annal.

(s) Horat. epist. 1. lib. 2.

(t) Tacit. ap. Briss. lib. 8. de form. pag. 809. vide l. 13.

(u) Siquis, D. de jur. jur.

9 Neque solum Domini, verum & Dei appellationem gratanter admitterit, tam à Virgilio (i), dum de eo canit,

O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi semper Deus: illius Aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Quam ab Ovidio (u), ipsi divinitatem sæpissimè concedente, non tam, ut arbitror, quòd se exilii calamitate oppressum videret, quàm quòd id jam in more Romano receptum, ac positum esset, sic enim ait:

Tburæque Cæsaribus cum conjuge Cæsare digna,
Diis veris memori debita ferre manu.

Et alibi, (x)

Sed prius imposito sanctis Altaribus igne,
Tburæ fer ad magnos, vinaque pura Deos.
Quibus ante omnes Augusti nomen adora.

Et iterum (y),

Nescit enim Cæsar, quamvis Deus omnia novit,
Ultimus hic, qua sit conditione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum
Hæc est cælesti pectore cura minor.

Quinimo & Jovem alibi facit eundem Augustum, sic inquit (z):

Si fas est homini cum Jove posse loqui.

Neronem quoque, vivum adhuc, Deum vocavit Lucanus (a),

Quòd si non aliam venturo facta Neront
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deo.

10 Et quamvis de Tiberio referat Dion Cassius (b), passum non fuisse per Genium suum jurari, aut in discrimen, judiciumvè quemquam vocari, hoc nomine, quòd per Genium suum pejerasset, tandem tamen, ut Tacitus (c) narrat, Domini nomen admissit, & suas occupationes divinas à pedariis, & trementibus, ut lenocinantibus Senatoribus appellari, licèt de eisdem exclamare soleret, O homines ad servitutem paratos.

11 Cajus quoque Caligula, plerosque honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metallum, & bestias condemnavit, quòd numquam per Genium suum dejerasset, ut in ejus vita Suetonio (d) scribit. Et postea Domitianus eò impudentiæ, superbiæque processit, ut se, non solum Dominum, Deumque vocari permissit, prout & jam ante ipsum vecors Caligula fecerat, verum (Suetonio (e) testante) ipse, cum epistolam dicitaret, sic incepit, Dominus, Deusque noster ita jubet. Unde institutum, ut ita à populo vocaretur, ut ostendit illud Martialis (f)

Edictum Domini, Deique nostri.

12 Quod cum deinceps Trajanus, magis pius, meliusvè doctus, horruisset, idem Martialis (g), tempori serviens, ipsius in hoc modestiam ita collaudat.

Frustra blanditiæ venit ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicitur Dominum, Deumque, non sum.
Jam non est locus hac in urbe vobis, &c.
Non est hic Dominus, sed Imperator,
Sed justissimus omnium Senator.
Hoc sub Principe, si sapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Plinius quoque Junior (h) eundem Trajanum ob hoc in suo eleganti Penegyrico multum extollit, quòd Sedem Principis obtinuerit, ne esset Domino locus, diversaque natura esse sciverit Dominationem, & Principatum; nec aliis esse Principem gratiorem, quàm qui maxime Dominum graventur.

13 Et hunc morem sequuti prisci omnes notæ melioris Imperatores ut Bulengerus, & alii docti Scriptores (i) observant, solos Deos Dominos appellandos esse reputaverunt; sibi Principum, vel Imperatorum nomen reservantes, quòd mitius, ac temperantius, quàm Regum, ac Dominorum

(i) Virgil. Eclog. 1.
(u) Ovid. 1. de Ponto, Eleg. 1.
(x) Idem 3. de Ponto, Eleg. 1.
(y) Idem 1. de Ponto, Eleg. 1.
(z) Idem 1. Trist. Eleg. 3.
(a) Lucan. lib. 1.
(b) Dionis. Cass. lib. 57. Briss. sup.
(c) Tacit. 3. anual.

(d) Sueton. in Cajo, cap. 27.
(e) Sueton. in Domit. cap. 13.
(f) Mart. lib. 8. Epigr. 8. de Phaside.
(g) Idem Martial. lib. 10. Epigr. 72.
(h) Plin. Jun. in Panegyry.
(i) Buleng. de Imper. Roman. lib. 1. cap. 36. Forster. in tractat. de Domin. cap. 1. Rittershus ad epist. Plin. pag. 41. Lips. in notis ad eumd. Rader. & alii ad Mart. sup.

rum existimabant, ut insinuat B. Gregorius Magnus ad Focam Imp. (k) scribens, dum inquit, hoc interesse inter Reges Gentium, & Reipublicæ Imperatores, Quòd illi servorum Domini sint; Cæsares, liberorum. Et Erasmus (l) dum tradit: Conditionis nomen Dominus est, non honoris, tyrannicum, non magnificum, barbaricum, non Romanum.

14 Et ad hæc respicit Tertullianus (m), dum in suo Apologetico pluribus probat, Imperatorem hominem esse, non Deum, & tandem sic finit, S. non de mendacio erubescit adulatio ejusmodi hominem Deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est ante apotbeosim Deum Cæsarem nuncupare Id est, ante obitum, & solemnem illam pompam, & rogum mollem, ac consecrationem, qua defuncti olim apud Romanos Imperatores cremari, & inter Divos referri solebant: de qua ceteris luculentius Herodianus (n) scripsit.

15 Quod tamen nullus, vel ex ipsis illis, qui magis pii, & cordati habitus fuerunt, tandem re ipsa complevit, nec oblatas à suis, sibi (etiam invitis) blandientibus, divinas, vel dominicas appellationes effugit. Ecce enim Plinius (o), qui tantopere sui Trajani hac in parte modestiam laudavit, eundem passim Dominum in epistolis vocat, & in ipso Panegyrico Deum, dum ait: Sed licet Altaria pulvinaribus, & flamine colas, non alia magis Deum facis, & probas, quàm quod ipse talis es.

16 Idem quoque in Vespasiano, Antonino, Severo, & aliis modestissimis Imperatoribus in Digestorum (p), & Codicis libris singulis propè paginis denotatur. Et eò hæc stultitia processit, ut non mortuis tantum, verum etiam vivis, Deorum, ac Divorum nomina largirentur, & etiam in illis, qui postea ad meliorem frugem conversi, Christianam Religionem professi sunt, serenitatis, tranquillitatis, sanctitatis, devotionis, adorationisque vocabula, sacri affatus, æternales vultus, divina Oracula, cælestes sanctiones, & alia similia deliramenta, usitatissima fuerint, in quibus recensendis, & ob stoliditatem, quam secum præferunt, succensendis, multus est Lactantius Firmianus, Cælius Rhodiginus, Guido, Pancirolus, Joannes Filesacus, & alii (q), & non omittendus Erasmus, qui cum in suis Apophthegmatis libro sexto, illud Tiberii, quod supra diximus, retulisset, qui ne à suis se Dominum vocari sinebat, hæc addidit, Quanta modestia in tanto Principe. Nunc quidem nihil audire possunt, nisi sacras Majestates, gratiosas Celsitudines, & reverendissimas Dominationes.

17 Et licèt non ignorem, Domini vocem hodie tolerabilem esse, cum à dominatione, & regimine privatae cujusque domus derivata, non improprie, aut injustè ad eos quoque per imitationem traducatur, qui imperandi jus in civitate habent, & quibus populi subsunt, ut Paulus Busius (r), & noster Conanus (s) animadvertunt. Idemque in voce Divus, novissimus Joannes Ferandus (t) adversus Filesacum contendat, dummodo hæc Deitas, sive divinitas, non tam ad Principum ipsorum personas, quàm ad locum, seu gradum dignitatis, quem occupant, dirigatur, qui, eo rectè utentibus, omni vitæ sanctimonia & Dei imitatione debet esse conspicuus. Quo in sensu Regius Psaltes (u) judices Deorum nomine donat, dum dixit: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos judicat. Et paulò post: Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes. Et Dionysius Areopagita (x) dictas appellationes excusans, sic inquit: Sanctos verò, & Reges, Dominosque ac Deos scripta divina appellant, gradus & ordines, qui in singulis primas obtinent, &c.

18 Satius tamen, tutiusque est, ut Pii, & Christiani Principes, vel exemplo, & documento nostri Emblematis moniti, ab ejusmodi verbis abstineant, & quæ Dei sunt, Deo relinquentes, illum tantum verum proprium rerum omnium Dominum, & moderatorem agnoscant, & animum, ut Dominum & Imperatorem, obedienti corpori à Deo præfectum, ut vel Ethnicus Cicero (y) scriptum reliquit. Ipsos verò vicariam, seu precariam dumtaxat Dominationem habere, ut in Sapientia, & Proverbiorum libris, aliisque sacræ paginæ (z) locis passim admonentur, quæ dicunt, A Domino Imperium, A supremo potestas est data. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Deus mutat tempora, & ætates, transfert Regna, atque constituit. Dominatur excelsus in Regno hominum, & cuiuscumque voluerit, dabit illud. Neque usquam mortalibus cum immortali Deo æquari, ne dum contendere licuisse. Cui, ut Sophocles dixit:

Nunquam senectus, atraque mors imminet;

Sed alia miscet Domitor ætas omnia.

Quemque, Seneca (a) perhibete, supra omnium hominum, etiam Principum capita, radiis armatum

B

(k) D. Gregor. in epist. ad Focam Imp.
(l) Eras. in floribus.
(m) Tertull. in Apol. lib. 2. cap. 33. & seqq.
(n) Herod. in Sev. ex versione Ang. Polit. pag. mihi 351.
(o) Plin. Jun. in lib. 10. epist. & in Panegyry.
(p) L. deprecatio, D. ad l. Rhodiam, l. oratio, D. de spons. cum aliis ap. Kalin. in leg. jur. ver. Divus.
(q) Lact. Rhod. & alii apud Me 1. tom. de Indiar. jur. lib. 2. cap. 21. ex num. 53. Pancirol. lib. 1. var. lect. cap. 2. Salmut. ad eundem in tit. de Encauso, pag. 12. Filesac. 1. select. cap. 4. & de idololat. polit. cap. 1. & 2. Demps- ter ad Rosin. lib. 1. pag. 33. Cæda in advers. sacr. cap.
(r) Bus. 2. de Rep. cap. 3.
(s) Conan. lib. 1. com. jur. cap. 5. num. 7.
(t) Ferand. de reliquiis in notis, pag. 538. & seq.
(u) David. Psalm. 81. v. 1. & 6. ubi Lorin. & late Ego in tractat. de munerib. honor. num. 361. & seqq.
(x) Areopag. apud Feran. sup.
(y) Cicero. lib. 2. de legib. & in lib. de univers.
(z) Sap. 6. Proverb. 8. 16. Dan. 2. 12. & 4. late Ego d. 1. tom. lib. 2. cap. 2. ex num. 3.
(a) Senec. lib. 2. nat. quest. cap. 42.

veteres configebant, ut suprâ nos aliquid timeremus, *Soirentque ii, quibus innocentia nisi metu non placet, in tanta audacia scelerum aliquid esse, adversum quod nemo sibi satis potens videatur.* Eosque, qui hodie in rerum culmine, sive cumulo essent, cras in tumulo esse posse, atque adeo omnem animi tumorem deponere debere, ut idem Seneca (b) in Tragediis iterum monet, sic inquit:

*Vos, quibus Rector maris, atque terræ
Jus dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus,
Quicquid à nobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur:
Omne sub Regno graviore Regnum est.*

Et Ovidio (c)

*Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumque Deo.*

19 Quæ sanè terrena, ac temporalia hominum Regna, tantum abest, ut quicquam de sua dignitate, vel duratione ob hanc, quàm suademus, in divinum, submissione diminuunt, ut potius hinc suam auctoritatem, consistentiam, atque incrementum petere debeant, ut de Romanis loquens dixit Horatius (d), sic canens de Roma:

*Diis te minorem quod geris, imperas;
Hinc omne principium: huc refert exitum.*

Et graviter monuit Valerius Maximus (e) inquit: *Sacris imperia servire debere ita se humanarum rerum futura regimem existimantia, si divinæ potentie bene, atque constanti fuerint famulata.*

20 Quem locum expendens, & extendens D. August. (f) magis adhuc ad rem, de qua agimus, inquit, Reges tum demum felices dici posse: *Si justè imperant: si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Majestati ejus famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt. Si plus amant illud Regnum, ubi non timent habere consortes: si tardius vindicant, facile ignoscunt. Si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reipublicæ non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt: si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent. Si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordie lenitate, & beneficiorum largitate compensent: si luxuria tanto est eis castigatio, quanto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus pravæ, quàm quibuslibet gentibus imperare.*

Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ. Si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Hæcenus Augustinus, cujus verba omnibus Regibus memoriæ mandanda meritò Sapiens ille Rex Alphonsus apud Panormitanum (g) dicere solitus erat. Neque eorum oblitus videtur D. noster Rex Philippus II. qui *Prudentis* cognomen promeruit; cum vivens has virtutes, quas in verò & Christiano Principe Augustinus requirit, ad unguem expleverit, & moriens, illa verba protulisse feratur: *Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus*: quibus prolatiæ piæ animam exhalavit, quam jam Purgatorii ignibus obrizatam, cœloque receptam, sunt qui ex aliquibus non contemnendis rationibus, ac revelationibus (h) tradant.

21 Dispari à Juliani Apostatæ exitu, qui cum vivens, in Christum Dominum, Christianosque omnes tumide, ac temerè rebellasset, moriens, ex vulnere, quod in bello, quod contra Persas gerebat, accepit, cava manu sanguinem hausit, atque eum in cœlum, veluti Christum conspiciens, conjecit, perinde, ac suæ cædis causam in eum referret; & ita blasphemio ore vociferatus, *Vicisti Galilæe, vicisti, saturare Nazarene*, perfidum spiritum misit, ut Sozomenus, & alii (i) commemorant.

22 Ex quibus concluditur, solum Christum verum, & absolutum rerum omnium Dominum esse, & appellari mereri. Qui tamen pro maxima in gloriosam, atque immaculatam Virginem Matrem suam dilectione, idem ei nomen communicare voluisse videtur. Nam *Maria*, juxta sententiam D. Hieronymi (k), sermone Syro *Domina* nuncupatur. Et ad hoc respiciens Arnoldus (l) Carnotensis, sic ait: *Maria lingua Syriaca Domina dicitur. Christus Dominus, Maria Domina. Et licet ipsa se Christi profiteatur Ancillam; hoc servitutis genus, omni Regno sublimius esse intelligit: constituta quippè est, super omnem creaturam, & quicumque Jesu curvat genu, Matris quoque pronus supplicat, & filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eandem.*

EM-

(b) Senec. in *Thyest.*

(c) Ovid. 4. *Fast.*

(d) Horat. 3. *carm. Ode 6.*

(e) Valer. Max. lib. 1. cap. 1. §. 9.

(f) D. Aug. lib. 1. de *Civitat. Dei*, cap. 24.

(g) Panorm. in lib. de *di& & fact. Reg. Alph. Neap.*

(h) Moura de *incant. pag. 162.* Euseb. Nieremb. in *tract. de caus. malorum publ.*

(i) Sozom. Eutrop. & alii apud Baron. *ann. 363.*

(k) D. Hier. in *Matth. cap. 1.*


(l) Arnold. de *laud. Virgini.*

EMBLEMA III.
SUPERBORUM PRINCIPUM TYPUS.



*Vibrantem radios Salmonea, Numina Divum
Mentitum, & Superi tela trisulca Jovis:
Non tulit Altitonans furtiva sorte tumentem,
In cineremque adigit, Tartara in ima ruit.
Et dubitabis adhuc turgentia subdere magno
Colla Deo, quisquis Sceptra superba quatis?*

COMMENTARIUS.

1  D magis compescendam vanam terrenorum Principum gloriam, sive superbiam, opportunum duxi hanc ipsius Salmonei Regis Elidæ, sive fabulam, sive historiam, quam præsens Emblema præfiguratur, ob oculos ponere. Qui, ut plures Auctores, & præsertim Hyginus (a) scripsit, Æoli filius fuit, Sisyphi frater, & in id stultitiæ processit, ut tonitrua, & fulmina Jovis imitari ausus, curruum rotas æreis canthi obmunitas, super pontem æneum, quem construxerat, agitaverit, & sedens in quadriga, immissisque in populum facibus, plures ex suis civibus neci dedit. Quosque, ob id à Jove fulmine ictus, temeritatis, tumiditatisve suæ justam pœnam persolvit. Et ut Hadrianus Junius ex Symmacho, & aliis (b) ostendit, causam fecit Adagio *Salmoneus alter*, quod paræmiæ specie usurpatur, de supra modum superbo, & elato. Nec desunt qui autument, quiddam pyrii pulveris simile, quo hodie in Bombardis utimur, adinvenisse, quo Jovis fulmen imitaretur.

2 Et hoc est, quod tangit Valer. Flacc. (c) dum in sua Argonautica, inquit:
*Salmoneus nondum ille furens, cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis.*
Et latius prosequitur Virgilius (d) de eodem in inferno pœnas hujus superviæ luente, sic canens:
*Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flamas Jovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic irvectus equis, & lampada quatiens,
Per Grajum populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem.*

B 2

(a) Higin. *cap. 61.* Junius *Adag. 1. cent. 2.* Car. Steph. *gus lib. 1. Misc. cap. 1.*

(b) Junius *inter Adag. Erasm. pag. 310.* Hieron. *Ma-*

(c) Valer. Flacc. *lib. 1. Argon.*

(d) Virgil. *Eneid. 6.*

De-